

quod semper ad definitiones in dubio respicere soleamus. Quid igitur fiat, ubi tot sunt numero definitiones ad quas respiciendum erit? Siquidem omnis multitudo confusio- nem pariat. Accedit enim illud, quod pleræque res naturales melius intelligantur, propemodum ab imperitiis, quàm à peritiis definiantur, quando forma destituuntur. Et quorsum definitiones si nulla ipsarum utilitas, unde à præceptoribus Theoricis, subtilitate quadam præsumpta, magis intricatur, quàm extricatur, cum meminisse deberet pro- verbii: *Viel zu scharff / schneidet nicht.*

PRÆCEPTORVM THEORICORVM

propositio tertia.

De jurisdictionis notatione, non omnes idem sentiunt. Alii <sup>Notatio ju-
risdictionis.</sup> enim eam à *jure & ditione*, ut Azo, Zasius, & alii haud pauci. Verùm non satis aptè: tum quia hanc notationem ipsa nominis figura planè respuit: tum quia ditio significat tantum impe- rium vel privati *l. 2. C. de libert & eor. liber.* vel totius alicujus populi *§. quorum utrumque, in præm. Instit.* Verior est eorum opinio, quia eam à *jure dicundo* dictam tradunt *arg. l. 1. ff. h. tit.* Donel. *lib. 17. comment. cap. 6.*

PRACTICORVM OPINIO.

Jurisdictio dicitur quasi *ditio juris*, ex qua notatione illud e- vincitur, quod *jurisdictio* ultra jurisdictionis fines se non ex- tendat *per l. fin. ff. h. tit.* ubi extra territorium jus dicenti impu- nè non paretur. Omnes enim notationes debent rem ipsam notare: & tanto est nobilior notatio, quanto propius ad rem accedit. Quæ causa est, quod interdum Jurisconsulti de nota- tione videantur aliquot disputationes movere, quatenus no- tationes interdum videntur fungi officio definitionum *arg.*

B

princ.